



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs**

**Johannes <de Castello>  
Albertus <Magnus>**

**Antverpiae, 1621**

Cap. XLVIII. De miraculo quod contigit, antequam fuit sepultus, circa eius  
venerabile corpus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44148**

## CAPVT XLVIII.

*De miraculo quod contigit, antequam  
fuit sepultus, circa eius venerabi-  
le corpus.*

**Q**VALITER verò Dominus de Al-  
berti salute nos certos reddidit &  
gloria, subsequens prodit miraculum.  
Nam Scriptor Legendæ beati Thomæ,  
ob commendationem discipuli maio-  
rem, de Magistro Alberto mirabile  
quid in eadem Legenda commemorat,  
sub isto tenore verborum prosequens  
sermonem: *Nec vacat, inquit, à commen-  
datione discipuli, si aliqua subiungamus de  
commendatione Magistri. Erat Magister  
Albertus in omnibus scientiis singularis  
excellentiæ, cuius corpus præ deuotionis  
gratia requisitum in tumba, quod positum  
fuerat, ut est consuetudo, supinum; inuen-  
tum est, ut sibi moris erat dum viueret,  
quasi in oratione recumbens. Cui discipu-  
lum, scilicet Thomam, diuinus Spiritus  
mirabiliter adæquauit. hæc in Legenda  
sancti Thomæ.*

Ex iam dictis verbis clarè notatur,  
hoc miraculum factum fuisse in Alber-  
ti

ti corpore diuino nutu mox post obitum ipsius, cum nondum traditum esset sepultura; quia pertinenter dicit requisitum fuisse ex deuotione Fratrum in tumba, non in sepulchro : ex quo enim Dominus Siffridus Coloniensis Archiepiscopus ipsum honorificè vnà cum Collegiis & Nobilibus per circuitum ciuitatis Coloniensis, vt superiùs notatum est, sepultura tradidit, constat per aliquot dies corpus Alberti insepultum in tumba iacuisse, antequam Nobiles præfati iussu Domini Siffridi ad sepeliendum ipsum conuenirent : in quo tempore nimirum Fratres præ deuotione accedentes tumbam, vti prædilecti Magistri sui corpus videre cupiunt & requirunt; sicque factum est vt pretiosam illam glebam, corpus videlicet tanti Pontificis, ad modum orantis inuenirent. Quo profectò miraculo omnipotens Deus palàm facere voluit sui famuli dignitatem & gloriam, ostendens hoc mirabili factò quantum viuens ad superna orando rapi consueuerat, cum etiam corpus exanime sese diuino nutu in altum leuando quasi orans erigebat. In hoc siquidem similis beato

Paulo

Paulo primo Eremitæ, de quo simile quasi legitur, quia cùm in oratione spiritum redderet flexis genibus, mansit ipsum corpus examine sic extensum ac si viueret; quod beatus Antonius ita inuenit.

## CAPVT XLIX.

*Contra fabulantes qui dicunt ipsum petiuisse à Deo Purgatorium.*

**Q**UIDAM autem phantastici, peruer- tentes ea quæ quandoque prædica- cari audiunt, ob suam ignorantiam lon- gè aliter alijs insinuant quàm prædica- tum sit; quemadmodum de Alberto fieri contingit, de quo nonnulli recitare so- lent, quòd petierit decem dies esse in Purgatorio: alij dicunt quinque aut tres, & postea apparuisse, & dixisse quòd stultè petiisset, quia magna esset pœna. Alij adhuc magis addentes, di- cunt quòd hoc petiisset in hunc mo- dum, dicens ad Angelum qui ad ipsum missus fuerat: Omnia expertus sum quæ in mundo sunt, volo etiam experiri Purgatorium. Hęc & similia alia dicunt fabulantes; & quia fortassis quidam qui  
nimis